



1649, 4
32

Volente Archiatro Maximo
DISPUTATIO MEDICA ORDINARIA

De
V A R I S

Seu
ARTHROITIDE VAGA SCORBUTICA

Quam
Consensu & auctoritate Amplissimi Medi-
corum Collegii
SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Excellentissimi, atq; Experientissimi

DN. JOHANNIS MICHAELIS, Phil.
& Med. Doct. Therapeut. P. P. Facultatis suæ
Decani, Academiae Decemviri, Collegii utriusq; Prin-
cipum Collegiati, ac Archiatri Altenburgici. Dn. Pa-
troni, Promotoris & Præceptoris sui plu-
rimum venerandi

Publicè examinandam proponit
VALENTINUS ANDREAS MÖLLENBROCCIUS
Erfurtô-Thuringus.

*Ad diem 15. Novembris, Horis locq;
consuetis.*



LIPSIÆ,
Typis hæredum Timothei Hönii.
Anno M. DC. II.



DISPUTATIO MEDICAE ORDINARIA

VIRO
AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
atq; CONSULTISSIMO

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO
MARCI, Phil. & J. U. D. celeberrimo,
Scabinatûs Electoralis Affessori dignissimo,
Patrono & Promotori suo atatem
colendo

DN. JOHANNIS MICHAELIS PHIL.
& MED. DOCT. P. FACULTAS IUR.

*Hanc disputationem in debita
gratitudinis monumentum
& ulterioris favoris incita-
mentum, cum voto omnige-
nae felicitatis*

D. D. D.
A. & R.

Typ. Barthol. Fr. Sch. 1711.
J. H. C. M. 1711.

1711

1711

1711





Scorbutus morbus populis Septentrionalibus a-
lias familiaris, & nostras Provincias Lusatiam, Miu-
niam & Thuringiam ita invasit, ut in iis nemo ferè se
ab illo immunem esse gloriari possit. Idq; abundè satis pa-
lam faciunt ejus pedisseque & comites in multos acri-
us sevientes. In plurimis sese ostendunt macule manu-
um pedumq; cutem livido suo colore deformantes; quidam sentiunt do-
lores modò dorsum, brachia modò, modò abdomen, inò totum corpus
lancinantes; nonnulli congperuntur de dentibus vacillantibus & gingivà
putridà cruentàq;. Non rarò quoq; aliis commiscetur morbis Scorbutus,
quartanis scilicet & tertianis diuturnis febribus, teste CL. Dn. Senner-
to l. 2. de febribus c. 20. p. 313. quandò, etiam se adjungit Pbitisi, Arthri-
tidi & c. qui sanè medicamentis scorbutò dicatis felicissimè, neglectis iis,
tardissimè vel minimè curantur. Miramur ergò quorundam aliàs do-
ctissimorù Medicorum contumaciam, è numero morborum Scorbutum
tollere non erubescantium. Luce enim meridianà jam clarium est, dari &
in his regionibus talem morbum, qui etiam, quemadmodum in locis Se-
ptentrionalibus, non nisi peculiaria possat remedia. Exemplo tantum-
modò nobis sit Arthritis scorbutica, quæ vagis suis & hinc inde discer-
rentibus doloribus aliisq; symptomatibus, imprimis verò peculiari curati-
one abundè docet, se longè aliam esse ab Arthritide communi, ut infra
patebit. Hujus itaq; indagacionem in Nomine JESU aggrediamur, ejusq;
naturam quantum temporis & virium ratio concedit, inquiramus. Quid
autem eò exactius id fieri possit, prius ipsius examinabimus nomen.

I.

VARI vocabulum significaciones habet varias: Nam
VARI sunt 1. Lumbricorum quoddam genus, quod
Germani Meyen Würmer / Ever oder Kadden / Lati-
ni scarabæos unctuosos appellant. 2. qui introrsum
pedes vel crura obtorta gerunt. 3. furculæ, quibus retia
eriguntur feris. Juniq; in Nomenclatore p. 237. Die Stange am Jäger-
Nesce

A 2

Meße. 4. Tubercula exigua duraque in facie exorientia. Græcis
ιδίωσι dicta, Germanis die Finnen & ἐπιτύματα ἐξαιθήματα quasi
pituitosa pustula in summa cute efflorescentes, pueritia valde in-
festa, quas Germani die weissen Kinder Blattern vocant. 6. Dra-
cunculi, Crinones, qui vulgò noti sunt, & Germanicè die Miteffer
vocantur. 7. pro Symptomate scorbutico quodam, in qua signifi-
catione hic sumitur. Cùm itaque tam multas habeat significati-
ones, satius esse putat *Wierus* ad differentiam varorum, Varenos
hunc appellare affectum.

II. Hic Affectus quoque varias sortitur appellationes, Ara-
bibus dicitur *Nakir*, juxta *Sennert. de Arthritide q. 6. p. 81.* qui illum
vel eundem vel ei similem esse censet. Latinis dicitur Ar-
thritis (à Græcis mutuato vocabulo) vaga scorbutica. *Horst. f. 2. E-
pist. Med. p. 353.* Græcè *Salom. Albert. disp. 1. de Scorbuto, §. 29.* pro-
bè putat posse vocari *δεομοσκάλικας, ἢ σκαλικας ἀμφιδρόμους*, cut-
ambulos & veredarios vermes, Germanis dicitur die Wahren &
quidem die Lopende r. à motu ejusque velocitate, hoc est, nostro
idiomate die lauffende Wahren / quasi dicas die Wahrende vel po-
rius die fahrende Schmergen. z. à lumbricorum peculiari genere
quod Westphali patriâ lingvâ die Lopende vocant, ac si dicere velint
discurrentes vagantesque vermes. *Wierus. Die reissende Gicht / die
Scharbockische reissende Gicht / die lauffende Gicht.* Quibusdam
die Miteffer ob rosonis sensum, verùm multū differt ab hoc pilari
affectu, ut rectè sentit *Horstius d. l.* propterea etiam minus rectè ab
aliquibus der Haarwurra vocatur. die Radde Dithmars Danis
vicini vocant, à vermibus volatilibus quibusdam. Die guten Kinder
in Brunsvicensi agro, à subjecto forsan, quia ut plurimum in fante
eo affliguntur. Die guten Höllden Gotingensibus. Nachtgriffe in
Episcopatu Trevirensi, dicitur, quasi nocturna comprehensio, ob
digitorum, quibus prehensi videntur, vestigia, unde etiam à Silesis
die Uspflecke vocantur. *Sennert. lib. 3. Med. Pract. p. 5. f. 2. c. 4.
pag. 579.*

III. Definitionem arripimus, utpote quæ ejus naturam rectius
explanat, sitque ea talis: *Arthritis vaga Scorbutica est dolor partium
nervosarum & tendinosarum vagabundus, à sale scorbutico volatili
exortus.*

IV. Hu-

3
x
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

330 a. h. e. i. q. i. laborale famulorum
fationis. M. d. s. o. d. a. n. g. e. r. o. r. i. s. t. i. s.
q. u. i. e. s. t. u. n. d. e. h. a. b. e. t. u. n. d. e. h. a. b. e. t.
Capitulum et manifestat, q. a. i. s.
fuit juxta mare. M. d. s. o. d. a. n. g. e. r. o. r. i. s. t. i. s.



IV. Hujus Definitionis partes singulæ ad pleniorẽ explanationem singulariter sunt examinandæ. *Genus est, Dolor*, atqve sic per symptoma definitur. Varia verò sunt dolorum in Scorbuto genera, ut scripto omnes comprehendi vix possint, interdum non in una sede morantur, sed variæ partes vellicantur, & lancinantur, ægriqve carnes sibi quasi divelli & dilacerari opinantur, alii de talibus conqueruntur doloribus, ac si digitis carnes evelleretur, alii pungentes accusant, alii ne quidem eos explicare valent. Hic autem dolor exedens est & corrodens, instar vermiculi nervosæ & tendinosas partes subito & nonnunquam momentò variis in locis permeãtis ac depascens, idq; nõ tam fit ob vapores è minera mali ascendentes, quàm ob diversitatem salini humoris. Mineram autem seu locum in quo colluvies scorbutica ex victu contracta colligitur, stannimus mesenterium, omentum & primas vias, lo- coqve inter ventriculum, Epar & Lienem medios & uriqve visceri vicinos, ubi cum per aliquod tempus detineatur, beneficio humoris serosi ad Epar defertur: inde per venas & arterias in totum corpus diffunditur. ”

V. Differentia desumitur à subjecto, formâ & causâ. *Subjectum* sunt partes nervosæ & tendinosæ, quatenus nimirum membranæ, utpote quæ potissimum tactus organum sunt, constant, in has sese mali hujus materia insinuat, illasq; lancinat, & hoc docet 1. natura affectus, qui pungendo & rodendo eum in modum adoritur, ut imperitus aliquis Medicus facilius ægrotantẽ insanã aut melancholiã laborare, quàm tam intolerabilibus doloribus affligi crederet. 2. quia dolores maximã ex parte in dorso lumbisqve, ubi medulla spinalis latitat, exoriuntur. 3. quia motus læditur, constatque experienciã non rarò hunc dolorem Paralyfin excipere ita ut ægri nullo niti possint membro. 4. quia ægri juvantur pharmacis, quæ nervos corroborant. *VVierus tr. de Varen. pag. 232.*

VI. *Forma* exprimitur, quòd dolor sit vagabundus, non enim semper certam aliquam occupat partem, quemadmodum Arthritis communis, sed interdum modò hanc, modò illam invadit, idq; ob salis volatilis volatilem naturam, sic, si jam manum occu-

occupet, celeri cursu ad brachia, ad digitos eorumq; articulos pergit omnes, cujus exempla habuimus hic in quibusdam ægris, qui uno die modò digitos manûs dextræ, sinistræ modò, eodem brachia jam, jam pedes lancinari conquesti sunt. Fitq; hoc modo mira quædam ac cita sursum deorsumq; per membra factarum discursum vicissitudo. Et quamvis certam aliquam quandoq; obsideat partem, in illa tamen non ita fixus est hic dolor, sed eam modò lancinat, modò relinquit, & sic non adeò constans est, nisi errore Medici & ægri fixam sibi ibidem acquirat sedem.

VII. *Causa est vel Proxima vel Remota. Proxima est Sal scorbuticum, quo iterum differt ab Arthritide communi. Quale autem hoc sit, explicatu difficile est. Non enim sufficit ad generandum Scorbutum* sal in cibis copiosius miseri cum sanguine & una cum illo per venas & arterias in totum corpus trahi, sed requiritur ut sal idipsum in corpore peculiari modo corrumpatur, & malignitatem induat, quod docet. 1. subita membrorum debilitas & virium lapsus cordisq; anxietas. 2. quòd non nisi antiscorbuticis & alexipharmacis illis admixtis curetur, 3. quia maculæ lividæ sese ostendunt plurimæ. Tales autem maculas rarò absq; malignitatis nota esse, præter alia docent petechiæ. 4. quòd purgantia vehementia non patiatur, nisi antiscorbutica fuerint præmissa, illis enim noxius humor ad cor trahitur & anxietas magna exoritur. 5. quia humor scorbuticus in minima copia maximas exercet vires. 6. quia contagiosus est, utpote quòd peculiaris corruptionis est argumentum, unde etiam fit, ut, quamvis quidam victu salino non utantur, si tamen infecti sint à scorbutico, eadem cum illo patiantur postmodum symptomata. Interdum quoq; saliva & humores sensibili acrimoniâ & sale dèstituantur.

VIII. Dicitur porò in definitione de sale, quòd volatile esse debeat, fixum enim & exactè adhuc cum sanguine mistum, inq; vasis adhuc contentum & non separatum, nullum corpori conspiciendum infert incommodum, ast separatum & resolutum & extra venas & arterias in substantiam partis alicujus protrusum ei malignam suam qualitatem communicat, & varia symptomata pro

1. Hemor. melancholicæ?
2. Sic Senod. l. 3. Med. p. 558.

5. 9. ubi humor scorbuticus
in similes epati aut lion. diste
Nolanam impet. vix. in
terre caret scorbutus. P. Sen.
l. 3. Med. p. 558.

pro diversitate humorum excitat. Non enim uniusmodi sunt humores scorbutici, alii enim tenues sunt, alii crassi. In hoc autem affectu sunt tenues & serosi, hocq; exinde patet: 1. quia cito hinc & inde vagatur, citoq; etiam fit & desinit, quod crassior enim materia, cōtardius movetur, & plus temporis ad ejus sublationem requiritur. Exemplo sint Quartana, Lienis Epatisq; obstructions. 2. quia tubercula aliquando apparent, quæ tamen mox evanescent, quod sanè fieri non posset, si materia hæc non ita tenuis, & sal in ipsa contentum volatile esset, ut facili negotio in venas & arterias regredi posset. Ob suam itaq; subtilitatem in multa membra vagatur, & sicut invasio inexpectata prorsus & vehemens existit, ita quoq; celeriter cedit. In nostro tamen affectu tenuibus humorib; interdum etiam crassos admisceri docet id, quod interdum diuti, solito persistat in loco affecto.

IX. *Remota cause* possunt esse variæ, recensebimus quasdam, 1. est *Aër*, qui sæpenumerò infalubritatis & interitus nostri causa est, ut docet *Pompej. Cain. 1. de febr. putr. c. 17.* Is igitur quando multis vaporibus scatet salinis, non parum ad generationem Affectus hujus facit. Talem autem habent circa loca maritima habitantes & per mare iter facientes, qui propterea haud difficulter hoc corripiuntur dolore, aliàs siccitatem aeris arthritidis communis causam esse *Hipp. s. 3. aphor. 16.* & ver huc facere *Idem aphor. 20. s. ead. dicitur. 2. Cibus* quoq; si salus sit, magnam sanè ad hujus symptomatis generationem vim obtinet, quod spectant Carnes fumo induratae, salugine, muriâ & aceto maceratae, Pisces etiam maritimi, ut halecia, Afelli, &c. palustres quoq; ut Carpio & reliqui in palustri aqua degentes, omnia summam, quæ sal copiosum in se continent, & salinum sanguinem & corruptioni scorbuticæ aptum producunt. 3. *Potus*, Aquæ salis & corruptæ. Vinum quoq; corruptum, quodq; in ventriculo non probè coquitur, sed acefeit. Ex corrupto enim & quod acefeit, vino, ob spirituum fixationem multum relinquitur salis, quod ex ventriculo ad venas lacteas protrusum, ibidem latitat, & malignam induit naturam, abhinc unâ cum sanguine in totum corpus penetrat ibiq; vires suas exerit. Cerevisiæ etiam non probè coctæ

&

& lupulo conditæ atque fœculentæ; fœces enim quid aliud sunt,
 quàm crassior & terrestrior pars multo sale abundans? 4. Non mi-
 nimum quoque ad Arthritidē vagam generandam faciunt inter an-
 ni tempora, *Ver & Autumnus*, quibus aliàs dolores podagrici juxta
Hipp. lib. aphor. 55. moventur. 5. *Somnus & Vigilia* immodicæ. 6. *Ex-*
ercitia intermissa vel intempetiva. 7. *Excretorum*, ut menstrui
 sanguinis, hæmorrhoidalis & alvi fordium *suppressio*. 8. *Venus* im-
 modica, hæc enim partēs nervosæ orbantur suo calido innato & hu-
 mido primigenio, unde debilitatæ materiæ molestanti minus resis-
 tere, minusque illam expellere valent. 9. *Animi* quoque *pathema-*
ta & inprimis tristitia, ob spirituum ad cor retractionem & eorum
 à ventriculo detractionem, & ita concoctionem imperfectam,
 maror & curæ, quibus plurimi inter hos Martis strepitus corre-
 pti fuere, unde etiam non pauci jam temporis malo hypochondri-
 aco subjecti sunt, quod sanè haud difficulter, superveniente scilicet
 humoribus vitiosis in hypochondriis contentis peculiari & speci-
 ficâ quâdam corruptione, in scorbutum transit. 10. *Partes* debilita-
 tæ & imbecilles, quibus sal hoc facilius se insinuare potest, & *corpo-*
ris dispositio singularis huc referuntur. Inter omnestamen has cau-
 sas non minima est *Contagium*. Ejus autem seminia variis modis
 propagantur. 1. à Patre beneficio seminis. 2. à Matre, etiam per se-
 men & sanguinem maternum, quo fœtus in utero nutriri opus
 habet. 3. per contactum & conversationem, ut per oscula, pocula,
 ægrorum halitus, expirationes, cadaverum scorbuticorum secto-
 rum foetorem, remque cum scorbuticis habitam, unde non mire-
 mur, cur scorbutus & per consequens etiam hic Affectus in nostras
 sit propagatus regiones, cum talium hominum, in quorum regio-
 nibus scorbutus est endemius, conversationem evitare non possu-
 mus. Vid. *Speculum scorbuticum*.

X. Ad differentias pergimus. I. *Alia* Arthritis scorbutica
 est cum tumore circa articulationes, quæ, ubi perseverat, prodeunt
 tandem maculæ, has excipiunt ulcera circa pedes curatâ difficilia,
 ex quibus interdum (rarius tamen) vermiculi ad formam Ascari-
 dum educi videntur, eaque tandem in malignas degenerant fistu-
 las. *Altera* tumoris experta est, at cum priori dolorem partici-
 pat,

*Ex amplexu majores, nec mine,
 neque tamen morantur simili. Illa
 non dicitur non magno, patit vel ob
 in diabolica, vel cum nigra aut
 in vobis, purpuræ et rubra, hæc in
 purpurea rubicunda, vix purpurea
 ex subtile exumpunt, hæc longæ
 nigrorum coloris in parte. Septem
 l. 3. Med. Pr. p. 12. c. 4. p. 22.*

pat, interim peculiarem habet corporis maciem extremam & quæ
si Marasmoden cum qualicunqve articulorum dolore conjunctam
cum membrorum lassitudine ac debilitate. *VVier. in Epist. ad Smet.*
pag. 225.

XI. *Alia* est persistens, quæ non varias subinde peragrat &
percurrit partes, sed tantummodo unicum membrum lancinat,
idqve calefacit, pungit & urit, & quamvis interdum desinat, facile
tamē redit, illudq; excruciat & affligit. *Alia* ^{currēns} vaga est & currit instar
Ignis fatui & modò hanc modò illam invadit partem. Interdum
remissionem simulat, verùm præter opinionem ægri statim redit
& in uno loco incipiens omnia membra pervadit, inprimis dor-
sum, lumbos, manus & pedes. In certa tamen parte radicatur, in
qua magis movetur & agitur anteqvam ulterius progrediatur &
circumvagetur. Hæc interdum ex Medici incuria & ægroti ino-
bedientia certum occupat & possidet locum, & non amplius ita
discurrit, ibiq; modò majorem, minorem modò excitat dolorem
& non ita progreditur ut antea, quia nervi & ligamenta in quibus
sedem suam habet, debilitata & ad resistendum causæ peccanti in-
epta sunt. Cujus exemplum habuit *Experientis. Dn. D. Drawizius*
in pistore quodam, quod videre licet in ipsius tractat. *de dolor.*
scorb. pag. 19.

XII. Est & adhuc quidam Affectus, qui in Episcopatu Trevi-
rensi *Nachtgriff* vocatur, cujus quoq; supra facta fuit mentio, ejus
causa & curatio quia cum Arthritidis vagæ scorbuticæ causa & cu-
ratione convenit, eum hùc quoq; retulimus, videntur in eo latæ &
ample maculæ lividæ, ac si digito validè impressæ sint, quapropter
quidam die *Aspice* vocant, ab aliquo incumbente & compri-
mante homine Incubum fieri persuasi: verùm hæc maculas vidî-
mus hic in quadam muliere, quæ tamen de nullo incumbente scie-
bat & absqve molestia eas & fortuitò ortas se vidisse asseverabat,
duas quoq; vidit *Dn. Draw.* ut refert in *suo tr. p. 37.* Oriuntur autem
istæ ab humore seroso & acri, qui prius juncturis molestiam creat
& postea ad cutem dejicitur. De hujus Affectus supersticiosa &
portentosa vulgi curatione *vid. Wierus.*

XIII. Sequitur nûc *signa*, quæ duplicia sût *Diagnostica & Prognostica.*

B

Dis-

Diagnosica sunt: Ea Arthritis vaga, quæ tumoris experta est, peculiarem corporis maciem extremam & quasi marasmoden cum qualicumque articulorum impotentia conjunctam habet. In utrâque; istud est commune, quòd 1. nocte dolores magis exacerbentur, quod peculiari hujus humoris, utpote qui ut plurimum nocte moveri solet, naturæ & non plumis (ut vulgus putat) ascribendum est, tunc enim temporis etiã in alio calido loco cruciatus augeri possunt, 2. quòd ægri nullum patiantur appetitus detrimentum & tamen magis magisque exenuentur, quod fit ob fermentum à sale scorbutico inquinatum, quòd, quò minus rectè coctio in ventriculo fiat, impedit. 3. quòd dolores sunt ignei & corrodescentes pro ratione salis, prout plus corruptionis, corrosionis aut malignitatis acquisivit. interdum tolerabilis se ipsi dolores, ut sic Halle observari, in L. Mallo.

XIV. In genere prodit se hic Affectus ut plurimum cum latè vagantibus aliquando & serpentibus hinc inde ad instar æstuantium pediculorũ, doloribus per omnes corporis partes, præcipuè tamen spinam dorsũ & lumbos, soletque à parte aliqua primum capere initium progrediens celeriter per reliquas. Deprehenditur tamè subinde in una aliqua solummodo parte radices egisse, & in illa nonnunquam cum cruciatus moveri, in modum morbi articularis ex tenuis materiæ defluxu nascentis. Cognoscitur quoque ex modo curationis, potione ex vermibus & aliis specificis, de quibus in curatione. Si enim tali potione curatur affectus pro certo habeto, varos esse, sin minus, contra. 2. ex Lumbricorum ab extra applicatione. Si enim vermibus loco affecto impositus vel etiam plantis pedum subligatus statim vel emoritur vel consumitur vel exarescit, credito esse Varenos, sin minus, contra. Verum hujus rei periculum nondum se fecisse *Wierus* dicit, quod signum an certum sit, in dubio relinquimus, interim negare non possumus, maximam inter hos Lumbricos & Affectus hujus causam antipathiam esse, pluries enim à nobis observatum est, si spiritum istorum loco affecto adhibuerimus, statim insignes exortos esse dolores, non aliter ac si in exhibitione carminativorum status augeri solent, qui tamen dolores post brevi durantiem pugnam desierunt, & pars postea melius habuit.

XV. Ar.

XV. *Arthritidis vaga in specie sic dicta signa sunt.* 1. Dolor in principio non diu in uno loco persistens, sed ab uno membro ad aliud progrediens. 2. Impotentia partis affectæ, ita scilicet, ut illam æger movere non possit, nisi sana ipsi auxilio veniat, quæ tamen impotentia unâ cum doloribus desinit.

XVI. *Arthritidis autem persistentis signum est in certo loco permanentia,* ubi cum arthritide communi convenire videtur, verùm facillè inter se distinguuntur. 1. ratione temporis. Dolor enim arthritici communes in parte aliqua fixi hærent, vagi v. licèt in una parte permaneant, brevi tamen intervallo ipsam relinquunt & iterum invadunt. 2. ratione causæ. In illa arthritide sal commune est, quod à natura expulsum circa articulos coagulatur & concrefcit, in hac non solum commune sal est sed & insuper peculiari modo corruptum quodq; veneni quasi assumpsit naturam, quapropter cum sal commune haud difficultè hoc modo corrumpi & salis scorbutici naturam induere possit, non rarò scorbutus & Arthritis communis junguntur & in uno hospitio habitant, unde fit ut plurimorum Medicorum curationes vanæ sint, quando anguem in herba latitantem non vident. 3. ratione curationis, si enim Arthritis minuitur specificis, certiores sunt de scorbuticâ & sic ex juvantibus hos affectus internoscere possumus. 4. ratione symptomatum, ubi & alia scorbutici signa attendenda, Pullus scilicet & urina, quæ in hoc longè alia sunt ac in illo. Tumor & rubor quoq; semper adest, quod tamen in nostro affectu rarissimum, febris etiam plerumq; comitatur Arthritidem communem, quod in hoc etiam nõ fit. Non tamè semper ex febre arthritidis communis solùm conjicienda, cum non rarò cum hac scorbutus jungatur, ut observavit Dn. Dravv. p. 25.

XVII. *Prognostica signa* quod attinet, dicimus, hunc Affectum periculosum quidem esse, interdum n. hominem brevi jugulat, aut non aded diuturnum, & præcipuè illum, qui absq; tumore & vagabundus est, ob causam tenuem & mobilem facillèq; dissipabilem, si verò ab ægro negligatur, & à Medico ordinariis remediis non obviam eatur, in longum tempus protrahi, imò in multos

mensis atq; annos miserandos cruciatus extendere potest. Pro-
ratione partis affectæ magis vel minus etiam periculosus est, si
enim cervicem occupet, ob nervorum ibidem existens princi-
pium, Apoplexia metuenda, exemplum refert Dn. D. Dravv. de
quodam, cui nisi Laudani Opiati usu auxilio itum fuisset, ipse
sanè vitam cum morte mutasset. In coxendice si latitet, pe-
riculo quoq; non vacat, ob dolorem, qui oriri solet, maximum,
unde etiam vigiliæ nimix & ob humorum affluxum febris & in-
flammati sequuntur, ex quib ossis femoris luxatio & atrophia
(ur & de schhiatico pronunciat dolore *Hipp. 6. aphor. 60*) tandè
eruris imbecillitas & motus impotentia suam originem trahere
possunt, quod observavit idem *Dravv.* de quodam, qui neq; se-
dere, neq; pedibus niti, imò nec lecto decumbere potuit, quem
tandem dolore excruciatum mors excepit. Ratione temporis,
si tempore Verno exoriatur Dolor Vagus facilius, si Autumnali
non ita facile, hyemali verò ob pororum constipationem diffici-
limè curatur.

XVIII. Hæc de Essentia, Causis & signis. Aggredimur nunc
Curationem & Indicationes, quibus, quomodo hospiti huic hæste-
nus hoc loco ignoto, nunc verò quibusdam optimè cognito; ob-
viam ire & ipsum debellare queamus, persequamur. Recensentur
autem tres communiter Indicationes. *Curatoria* scilicet, *Præ-
servativa & Vitalis*. *Illa* Affectum respicit & causam continentem, *Ista*
causas remotas, quæ sui ablationem, *Hæc* vires, quæ sui conser-
vationem postulant. Singulis Indicationibus fatissit, si sumari-
tur auxilia ex tribus fontibus usitatis, *Chirurgiâ* scilicet, *Pharma-
ciâ & Dietâ*.

XIX. CHIRURGIA. Ubi occurrit Vena scelto, quæ tamen non
ita probabilis videtur, quia radix mali in profundis latitat inti
ventris & cacochymia est in omnibus partibus, & sic tam boni
quàm mali sanguinis siteductio, ideoq; naturæ vires corrumpit, san-
guine enim vita pariter ac valetudo conservatur. Verùm cum
plethora insignis adest & causa peccans movetur, tam propter
sanguinis & in eo humoris turgentis ventilationem & ipsius à
parte affectâ revulsionem, non usq; ad eò rejici potest, si modò ri-
tè &

te & in parte sana non ægra administratur, aliàs enim turgentes
humores adhanc copiosius attrahuntur, quod factum refert *Hors-*
sius de muliere quadam pedum dolore laborante *lib. 3. p. 2. obs. 15.*
Ejus vicem sustinere interdum possunt Cucurbitulæ scarificatæ.

XX. PHARMACIA. Ubi primo loco sese ostendunt Purgantia,
quibz nō incommodè præmitti debent *Digestiva*, ut sunt Cremor
¶ *ri*, ¶ vitriolatus ¶ *stialis*, Crocus ¶ aperitivus cū salibus, appropria-
tatis præparatus, Crocus ¶ saccharinus, ☉ digestivum ex
Cap. Mort. vitrioli & ☉ præparatum, Magisteriū Cochlear. *Draw.*
fyr. defumaria, *fyr. scelotyrb. Mynsicui*, serum lactis cum anti-
scorbuticis & arthriticis & Specifica reliqua. De quibus infra.

XXI. *Purgantia an in hoc Affectu conveniāt*, dubitari potest. Du-
bio huic ansam præbent rationes sequentes. 1. quia causa ejus est
maligna, & propterea satius videtur auferri specificis sudoriferis,
ut in peste & aliis occultarum qualitatum morbis, purgantibus nō
malignitas ad cor trahitur. 2. quia plurimi citra purgantium u-
sum, usurpatis tantummodò antiscorbuticis, convaluere, con-
trà, assiduis purgationibus usi vel ad perfectam membrorum de-
voluti sunt impotentiam, vel in hydropem lapsi. Verùm quæ
hic dicuntur de purgantibus, de fortioribus intelliguntur, mi-
tiora verò quomodo postponenda sint, rationes videmus nullas,
his enim sedes & radix salis scorbutici non modò destruitur,
sed etiam præcavetur, ne reliquum in toto corpore hinc & in-
de vagans, foveatur, nec etiam fortiora planè negligenda, mi-
tioribus enim non proficientibus, ut ad illa, habitā circumstan-
tiarū ratione, fugiamus necesse est. Rationes contrarias quod at-
tinet, respondemus, quod purgantia fortiora non usurpari de-
beant in initio & priusquam antiscorbutica, quæ malignitatem
humoris infringant, præmissa fuerint, & licet sal volatile quod
in exterioribus latet partibus, expelli possit, sal fixum tamen
quod circa hypochondria sedem suam locavit & illi fomitem
præbet, extirpari iis non potest. Ad 2. quòd quidam citra pur-
gantium usum convaluerint, si huic aliàs fides danda, putamus,
quòd isti per contagium morbum contraxerint, ubi Sal scor-
buticum fixam sedem nondum sibi comparavit, de iis verò qui

purgantium assiduo usu membrorum impotentia onusti, vel in hydropem lapsi sunt, dicimus, quod nimius ipsorum usus interna viscera malignitate scorbuticâ aliâs contaminata debilitaverit, unde concoctionibus laesâs & excrementis eorum retentis ob nutrimenti & spirituum defectum hydrops & membrorum impotentia facile oriri potuit.

XXII. *Mitiora purgantia à Wiero & aliis authoribus plura recensentur, ut Syr. domesticus, syr. fl. acacia, syr. de Carthamo, infusum fl. acacia, rosar. Electuar. rosar. Mesuæ, Electuar. diacathol. Fol. senn. Rhabarb. Polypod. Carthamus, Mechoacanna, Gialappa ejusq; Magisterium. Fortiora sunt Gratiola, hermodactyli, qui Arthritici doloris Theriaca ab Avicenna vocantur, Elaterium, Esula ejusq; extractum, Gummid. Peru ejusq; Magisterium, Extr. diacarthami, Pil. anti ~~Græ~~ Quercetani, Pilulæ arthriticae s. d. hermodactylis, omnibus antecellit helleborus niger ex eoq; parata medicamenta. Quædam v. ingrati saporis cum enematis (quæ tam ob lenem evacuationem quam revulsionem plurimum præstant) injici possunt. Laudat suas Pilulas antiscorbuticas. Excell. Dn. D. Timæu, Physicus Colbergensis, quas Dn. Præsidi communicavit, quæ tales sunt: R. MPil. Melanagog. Quercet. ʒiʒ. Extract. fol. senn. ʒʒ Resin. Gialapp. ʒj gr. vj. Tart. Plat. gr. xiiij. S succin. volat. ʒj sem. nasturt. cochlear. sinap. an. ʒʒ. M. cum V antiscorb. F. Massa. Dosis à ʒj ad ʒʒ. Instar omnium potest esse Pulv. cathol. purgans. Ampl. Dn. Præsidis cum syr. domestico vel conserva Cochlear. vel per se usurpatus, absq; torminibus enim omnem saburram noxiorum humorum educit, easdem vires obtinet Eju. Extractum Catholicum purgans cui ʒ dulcis ritè præparatus admisceri potest.*

XXIII. Et DIURETICA proficiunt. Sal n. hoc scorbuticum cum sero, ut suprâ dictum, est conjunctum; serum a. cum potulenta materia constituit urinæ materiam, quapropter facile per urinam expelli potest, quo faciunt etiam plurima antiscorbutica, quæ tali vi prædita sunt, quod effectus satis docet, quippe ab eorum usu urina antea clara, postea turbida redditur. Inter ea a. ommissis reliquis commendantur acidula, de quarum usu

usu potest videri *Horst. lib. 4. obs. 35. p. 274* quarum vices obire
possunt artificiales, de quibus *Grilling. p. 205.* & *Schröder.* in primis
a. eæ, quas *Dn. Præs.* in usu habet. Si harum potestas non est,
earum vicem suppleat *Crocus* & *Aperitivus*, Medicamenta & alia
reliqua, Virtutem quædam antiscorbuticam, in qua candens fer-
rum extinctum est. Mars n. quemadmodum & Sol uti in Macrocos-
mo, ita in microcosmo humores absorbendi maximam vim habent,
ob qualitatem quam obtinent calidam & siccam, cujus beneficio
scorbuticum hoc serum imbibunt & postea è corpore per urinam
educunt. Ad sunt & alia ut: Tinctura ☿, Spiritus aperitivus *Peno-*
ti, Spiritus & Crystallus ☿ ☿ & ☿ vim laxandi & per urinam
pellendi vim habent, Spiritus quoque & Crystalli urinæ per se
vel cum ☉ præparati.

Capitula Noebij.

XXIV. Sequuntur nunc SUDORIFERA, quibus Sal hoc vo-
latile expelli potest, Talia possunt esse ☿ diaphor. Bezoarticum
minerale s. ☿iale, Xale Mynsichti, Liquor diaphor. ejusdem,
Essentia Lignor. *Dn. Præs.* Mixtura antiscorbutica sudorifera
ejusd. Tinctura Bezoartica s. Mixtura simplex cum spir. coch-
lear. vel spir. antiscorb. f. Dn. Præs. vel spir. lumbr. terrestrium
omnibus palmam præcipit ob vim suam penetrabilem, præ-
fertim si loco spiritus theriacalis camphorati præparetur cum
spiritu cochleariæ & ita nomen Mixturæ antiscorbuticæ rectè
mereretur. *Horst. d. tuenda sanitate* commendat hoc sudoriferum:
℞ Rad. succis. ℥j sarsaparill. Aristoloch. rot. ver. an. ℥ij. Herb.
cochlear. Mj. Salv. beton. abrotan. rut. vincæpervinc. an. p. i.
sem. aquileg. ℥ij Coq. in ∇ nasturt. beccab. cochlear. ad medie-
tatem, cum hujus decocti ℥vj trajiciantur lumbrici terrestres
circulis in collo insigniti & nasturtio & petroselinio permensum
enutriti num. vij. adde Theriacæ ℥ss. ∇ cinam. ℥ij. Sp. cochlear.
℥ss mixtur. s. vitriolat. gutt. viij. M. hujus ℞ ℥iss adde Lap. Bezo-
art. or. gr. v. spir. terræ sigillat. ℥v. M. pro dosi ad sudorem.
Habet & *Weickard. in Theaur. Pharmaceut. Galeno-Chymico l. 6.*
p. 84. ∇am ad Arthritidem vagam, quæ exhiberi debet ægrotis
manè in lecto ad provocandum sudorem, quo superveniente,
dolor (verba sunt ipsius) sistitur.

XXV. Ad

XXXV. Ad *Specifica* properamus, quorum usu plurimum proficitur. Sunt autem multa eorum, quæ, cum ab authoribus, qui de feorbuto scripserunt, omnia ferè recenseantur, supervacaneum duximus, ea repetere. Pauca tantummodò & quidem efficacissima præsertim in hoc affectu in medium proferamus. Inter omnia commendantur *Lumbrici terrestres*, qui tanquam peculiare Bezoarticum in hoc affectu extolluntur, eligi autem debent ij, quorum colla annulis cinguntur rubris, quiq; plebejo sermone die *FauWürme / RegenWürme / ErdWürme / Phren* / vocantur & qui in simetis circa cœmiteria & sepulchra inveniri solent. Quantos effectus ex eorum usu *Wierus & parens ejus* consecuti sint, vix credibile esse putant. Quamvis rationes, cur hi vermes sint antidotum huic affectui optimum, quis reddere vix possit, cum ij occultâ in illam agant qualitate, sunt tamen & rationes manifestæ. 1. habent enim urinam ciendi facultatem, 2. sudores movent, 3. Obstructiones & inprimis nervorum nervosarumq; partium reserant. 4. dolores sedandi vim obtinent. 5. nervos corroborant. Plures eorum virtutes possunt videri in *Epist. Wier. ad Smetium p. 234.* Modum præparandi & exhibendi eos vide apud eundem & *Dn. Dm̄vix.* qui peculiarem eorundem essentiam habet miræ efficacix in hoc affectu. Auxilio temperaneo *Wierus* usus fuit sequenti: R. lumbric. num. v. quos expurgatos contritosq; haustulo bonæ mitisq; cerevisiæ percola, adde theriacæ optimæ ℥ss cinam. croci & sacchari parum, manè celefacta potui propina & sudari jube per aliquot dies continuando. Quidam pavonis ovo croci ℥ss aceti; parum, quantum ovi testa capit commiscet potuiq; exhibent teste eod. d. l. Quidam vivam Salamandram in æneo vase usam & pulverisatam cum mica panis miscet & exhibent. Westphali uruntur potu ex herba glycypteri tota cum radice. *Wier. in Ep. ad Smet. p. 230.* Dithmarsii sumunt unum vel sesqui vel ad summum duos cum dimidio vermium volatilium (de quib. *suprà*, *Wierus d. l. & Schröd. l. 5. p. 324.*) eos arefaciunt & pulverisat, atq; ægro ex cerevisia propinant, ad quem potum eum sudare oportet, vocantq; hanc potionem den *Raddentrancf.* Hæc & plura alia videri possunt ap. *Wier. d. l. Horst. Draw. &c.*

XXVI. Sunt

XXVI. Sunt & plura efficacissima, quæ hic recensimus. Illustrissimus quidam Princeps valdè commendat pulverem mystela Piscis seu Gobii fluviatilis, item Magisterium & sal spinarum viperarum ritè præparatum, ob sanguinem purificandi vim, quam habeat viperæ, maximam, Osla sturionis sive storæ laudat Dn. D. Schröder l. 5. p. 312. Pharm. Gal. Chym. ex Foresto l. 20. obs. 12. in Epist. ad Bra. Talpæ cinis in vino vel cerevisia exhibitus ab eodem Cl. Dn. Schrödero d. l. commendatur. Quid de cantarellis & asellis in hoc affectu statuendum sit, potest videri apud Horst. f. 2. Ep. Med. p. 354. hoc tantum de asellis addimus, quod Experimentif. Chymiatæ & Præcticus quidam insignis per literas ad nos retulit, qui putat ex iis æquivalens medicamentum cum eo quod fit ex viperis, parari posse, si in sal redigantur, idq; ob ipsorum vim aperitivam quam obtinent beneficio Salis terræ, imò quidam eos tantum in pulverem redegerunt & tamen morbos chronicos, calculum, icterum, arthritidem &c. eo curarunt.

XXVII. Summæ efficaciz sunt Medicamenta Dn. Præsidis, ut sunt: Spir. antiscorb. simpl. & compos. Elixir arthriticum cum sp. antiscorb. s. mixtum. Tinctura corall vera cum sp. antiscorb. præparata. Tinctura spir. aperitivus. Elixir quoq; proprietatis cum iis mixtum, vel si loco sp. V. simpl. sumatur spir. cochlear. vel spir. antiscorb. simpl. & sic præparetur. Horst. de tuend. sanit. addit spir. filicis, centaur. minor. Habet singulare specificum in varis Dn. D. Timæu præcticus celeberrimus, quod cum non cuivis sit obvium, apponimus. Recipe Rad. Vincerox. Enul. aristoloch. rotund. Zedoar. charyophyllat. Pæonia an. ʒij summit. Salv. beton. serpill. abrotan. rut. chamædr. chamæpyth. an. ʒj. anthos ʒiʒ, spec. diamosch. d. dianthos, lætit. Galen. an. ʒʒ. sem. citri ʒiiij Theriac. Andromach. ʒʒ. Fœcul. Aaron. ʒiiij, Pulverisatis affunde spir. Vini Malvatici oprimè rectific. ad eminentiam 4 digitor. stent benè recta in digestionem per 3. dies, postea spir. V. abstrahatur ad consistentiam mellis. Reaffunde sp. V. modo abstract. ʒʒ. sp. cochlear. ʒij. spir. nasturt. ʒj. spir. d. rub. idæo ʒij, Essent. lumbricor. ʒiiij, digerantur per d. & n. postea di-

C

ligen-

*23. Medicamentorum antiscur,
Bulbionis, & volatili, mentha
vig. Scorbuto cum curandi affert
et oleo quo proleto & deponit
Sunt lae peltitae, albente & obliq.
Sera. 13. Med. Pap. 561.*

24. Panicyi Herbar. p. 117.

*Edichaloniæ minus
Anagallis aquatica & Scaberrima
Pleocora peltitae sed minus*

*Eundem virtutes fulei hie typo abun
dant & medicamentis oleo
sunt. Consistentia. attenuant
pariter: debet ut aratica
factus loco notant & afflu
Sera. 13. Med. Pap. 561.*

ligerentur & seruentur pro usu in vitro. Datur à H ad Hij
ex ∇ aliqua antiscorbutica vel Arthritica Augustanorum. Quan-
tum præstet in scorbuto ejusq; Arthritide. *Abies*, Moscovita non
solum sed & plurimi alii, qui pro singulari specifico hoc inter
arcana possident, satis experti sunt. Cacumina enim vel folia
ejus decocta vel in aliam medicamenti formã redacta, desperatos
etiam in integrum restituere, imò decocto ejus si os colluatur,
dentes vacillantes firmantur & gingiva squalida restituitur, ejus
vicem supplere possunt ^{humitates} *Humitates pini sylvestris*, utpote quæ
earundem virum esse observata sunt. *ex p. experia piana; p. test.*

XXVIII. Et hæc sunt quæ brevitatis studio in medium proferre
voluimus, novimus a. non paucos futuros esse, qui dubitabunt,
quomodo allata, quorum vis in sale volatili consistit, scorbuto,
qui à sale provenit, vim infringere possint. Verùm dicimus
quòd longè alia operatio sit salis volatilis, quale est in cochlea-
ria & reliquis antiscorbuticis, quàm fixi, ut est in carnibus fumo
induratis. Imò licet in hoc affectu statuatur causa sal volatile,
unum tamen sal alteri esse adversum & ejus acrimoniam tolle-
re, multa alia docent, id quod etiam *Clar. Dn. Sennert. clarè in*
tr. d. Consensu & Dissensu c. 16. docet: Acrimonia Salis, *inquit*,
non tam per pinguia & sulphurea tollitur, quàm per salia. Ex-
empli loco sit nobis spiritus O li ejus acrimoniam ac vis rodendi
omnibus nota est. At si admisceatur illi O F ri vel O
 F ri è F ro calcinato per deliquium factum: & spiritus vitrioli &
 O lis F ri acrimonia tollitur. Idem fit sale absynthii vel alio
è plantis sale parato admisto. Ita vim corrosivam Hij M ti
tollit O F ri & O absynthii ideoq; contra H rium M rum
 O absynthii antidotus habetur. Consideretur quoq; præpa-
ratio Bezoartici mineralis dicti: Quamvis enim Butyrum
 Hij magnam acrimoniam habeat & spiritui O etiam sua vis
corrodendi sit, tamen ubi spir. O butyro Hij affunditur, ita
hoc omnem acrimoniam amittit, ut præstans sudoriferum eva-
dat. Quemadmodum a. hæc nobis ignota sunt, & de his ra-
tiones dare difficillimum imò ferè impossibile est: eodem mo-

do etiam de antiscorbuticis illud affirmare possumus, ita sicut sal scorbuticum peculiari & occulto modo corruptum est, ita etiam remedia ei contraria, peculiari & occulto modo ejus corruptionem tollunt & acrimoniam infringunt. Det nobis, qui omnia ad manifestas deducere vult qualitates, de hoc rationes, & erit nobis magnus Apollo.

XXIX. Sunt & alia antiscorbutica, quæ non solum occultata proprietate sal scorbuticum infringendi, verum etiam ob suam aciditatem, illud, si nimis volatile & vagabundum est, præcipitandi vim obtinent, quæ interdum in hoc affectu non sine fructu adhiberi possunt, inprimis quando dolores nimis furiosi sunt. Sunt autem ea, Mala aurea, quæ teste *Horst. de tuend. sanit. l. i. c. 6.* scorbuticis summe profunt, adeo ut hinc immunes sint ad ipsam Norwegiam. Acetum scylliticum quod ob præcipitandi vim valde commendat *Dn. Draviz.* eum in finem quoq; laudat ille ∇ acidam quæ colligitur in præparatione & diaphoretici peculiari modo, quem ap. eund. in tr. de dolorib. scorb. p. 48. videre licet, & ea quæ in præparatione clysti gialis fit.

V. Senn. l. 3. Med. Pr. p. 698.

et scorb. notior ex qua p. 38. h. sp. monel.

XXX. Nec Anodynorum obliviscendum, quibus dolores intolerabiles hujus immanis Affectus non solum tolluntur, sed etiam somnus, qui per dolores impeditur, inducitur, sudoresque eliciuntur, inter hæc primum locum obtinet Laudanum Opiatum, ritè præparatum, de cujus usu tuto & virtutibus admirandis *Vid. Horstius l. 1. Ep. Med. s. 2. p. 355. p. 2. observ. 15. de dolor. part. externar. & Senn. l. 3. Med. Pr. p. 698.* lib. 2. Epist. med. s. 16. p. 569. Pulvis quoque anodynus confortans *Dn. Pres.* ejusdem est efficacia. Decoctum solani. *V Vier. d. l.* Solanum somniferum Dithmarsi & Westphali ut & qui habitant in comitatu Teckelburgensi in creberrimo habent usu, vocantq; illam herbam Wolckenbaum. Hanc tusam cum cerevisia contra varenos potui afferunt, post quem æger tam ingenti somno corripitur ac si cum morte luctaretur, sed per 24. horas eum magna cura à somno expergiscitur; aliàs hujus plantæ, quæ sensus valde debilitat venenosaque est, potus periculo non careret, verum duro nodo, durus querendus est cuneus inquit *V Vierus d. l.*

*Haec quælibet ex affluo
con. anodynorum mirabile
Anodyni.*

XXXI. Externa quoque usurari possunt, sed cum summa cautione, ne repellentibus materia scorbutica, qua veneni quasi naturam induit, repellatur & ita periculosior fiat affectus, quapropter externè specifica & quidem calida & discutientia adhibeantur, qualia sunt ∇ vegetabiles spirituosæ & spiritus ipsi, ut spiritus lumbricor. Articularis ad extra, cui admisceri potest spiritus formicarum, Juniperi, cerasor. lil. convall. sambuci \square sp. forismar. hyoscyami, & spiritus antiscorbutici suprâ dicti, plurimi n. ex eorundem usu alleviationem subitanam perceperunt. Balsam. item podagricus Rulandi, cui spiritus salis Hci addi potest. Spir. articular. Dn. Præsidis, Spir. lumbricor. compos. Dn. Draw. intr. d. \circ etiam lumbricorum ad extra sic parari potest: R . lumbr. q. v. inde vitro angustî orificiî, quod optimè claudatur, vitrum malsâ farinacèa obvolvè ad latitudinem 3. digitorum & in furno coque instar panis, peractâ concoctione exime & lumbrici in liqvore resolvi erunt, quo partes affectæ illiniri possunt. Dn. D. Timæus extrâ, quoties dolor vehementius urgeret, imposuit locis affectis lumbricos vivos, qui initio, quasi vi illatâ, exire circumgyrati, mox langvescere & momentanea tabe consumpti, subito emori non sine admiratione visi sunt, de quo etiam Vid. Horst. f. z. Ep. Med. p. 350. & Wierus. Summo cû fructu usi sumus balneis in quibus herbe arthritica & antiscorbutica cum summo pini sylvestr. cacuminib. & foliis abietis & fol. quercus concocta fuere, exhibitio prius sudorifero quodam suprâ nominato, post balneum partes affectæ inungi possunt \circ vel Unguento articulari, \circ Juniper. lauri, absynth. & lumbricor. terrestr. \circ formicar. Si singulari alicui malum inhereat parti, utere plantagine cum sale in mortario trita & superimposita. Wier. d. l. si tumores in abscessus versi fuerint & ad eruptionem tendant, Dithmarsî formant Cataplasma ex radicibus cicutæ aquaticæ hoc modo: Radices has stuppâ obvolutas sub cineribus assant; inde tusas melle permiscant in cataplasma. V Vier. d. l.

D. Schlegel loc. p. 349.
 Cataplasma ex be.
 tabinga, castlear.
 nasturt. aq. makue.
 mûllegg cortic. fibæ. c. f.
 antiscor. vel sp. lumbricorin
 extracta.

V. Sean. d. Scorbuto
 p. 27.

Sp. lumbr. c. castreo.
 F. Fellebeimiana.
 Balsam. antiscor. Rulandi
 cc. sp. antiscorbut.

An Therme p. 110?

XXXII. DIÆTA consistit in sex rerum non naturalium legitimi-



gitimo usu. *AER* sit purus tenuis & patens, vitetur multis salinis
vaporibus scatens, qualis est locorum maritimorum. *Cibus* sit in-
substantia, qualitarum & copia modo mediocris, vitetur talis
qualem supra inter causas retulimus. Commendantur autem car-
nes animalium, gallinarum & pisces saxatiles facili concoctionis
cum quibus conjugari potest esus nasturtii, sinapi, raphani marini,
cochlearia, vel ut condimenta, acetaria, vel ut embammata usur-
pata. Acida omnia praeter ea quae supra peculiari ratione scorbuto
adversari diximus, fugienda, quia sal scorbuticum ab aceto ad-
mixto ebullit, Dulcia quoque vitanda, quia iis fomentum & aug-
mentum acquirit scorbuto teste *Dornreil. in praefat. Dispens.* & pro-
pterea syropus in eo vetat. *Potus* sit vinum clarum & bonum, co-
chlearia, absinthio vel aliis antiscorbuticis medicatum. *Cerevisia*
sit lupulo satis condita & bene defocata. Lac singulares & maxi-
mas quoque habet virtutes (*Vide speculum scorbuticum*) eod quod al-
vum subducit, humorum scorbuticorum acrimoniam obrundat
& atrophiae scorbuticae obviam eat, quapropter *Dn. Praeses* spiritus
suos antiscorbuticos in eo, vehiculi loco, assumi jubet. Optimum
autem est Lac Caprinum vel in hujus defectu vaccinum recens, si
in eo antiscorbutica coquantur. *Serum lactis caprini* huic affine:
unde agrestes Frisii ac Batavi, quotidiano feri usu a scorbuto patrio
sele muniant ac liberant. Serum enim ratione humiditatis suae ea
quae salsa sunt solvit: nitrosarum qualitarum vero ratione abstergit
parietibus venarum adhaerentia. ∇ hordei non esset inutilis si sub
finem coctionis aliquid cinamoni injectum esset. *Vier. d. l. Motus*
& *Quies* sint moderata. *Somno* quam vigiliis magis indulgendum.
Aldus, Vesica, haemorrhoides, & pari sunt aperta & mensium fluxus or-
dinatus. A Venere quantum possibile abstinendum. *Ex animi affe-*
ctibus praeter Gaudium, nulli conveniunt. *Hec sufficiant de*
Arbitride vaga scorbutica. Supremo Archiatro sit
laus & gloria in sempiterna seculis.

Horst. Fobl. Decad. 1. q. 2. p. 4.
de scorb. p. 2. s. 7.

V. Ser. 13. Med. P. p. 48.

5

51

COROLLARIA

I.

- C**oncoctio in ventriculo fit non solum à calore ejus & adjacentium partium, verum etiam fermentatione.
2. Dolor omnis provenit à solutione continui.
 3. Urina inspectioni non adeo multum, ut à quibusdam fit, tribuendum.
 4. Ordo ciborum non est necessarius.
 5. Essentia ex herbis quibusdam antiscorbuticis succis parari non possunt contra scorbutum efficaces.
 6. In affectibus quibusdam cruda magis conveniunt quam inde preparata magisteria.
 7. In quibusdam affectibus & vite & alia purgantia vomitoria per inferiora tantum purgant.
 8. Acida Medicamenta figunt & aperiunt.
 9. Acidule naturales præferuntur in quibusdam affectibus artificialibus.
 10. Spiritus ex herbis sale volatili abundantibus melius præparantur additione quam fermentatione.
 11. O_c Camphora pessimè inter non-entia refertur.
 12. Pilula violacea idem præstant quod Angelica.
 13. Ebur & C. C. sine ustione merito præfertur usito.
 14. In scorbuti curatione ∇ a destillata præferuntur Syrupis.

*Ad Eximium atq; Clarissimum Dn. Auth. & Resp.
Medic. Candidatum longè meritisimum, Amicum
pl. colendum.*

Cùm Deus in teneris te viderat obvius annis
Qui rigat æternâ nobile pectus aquâ,
In-

Indidit Illustrem blando Tibi fame mentem
Et finxit genii plurima dona tui.
Hinc scandis Medicis prægnantia pulpita Musis,
Et superas doctum, dulcis Amice, chorum.
Perge manu Medicos nobis aperire recessus,
Majori dabitur mox tibi stare Loco.

CHRISTOPHORUS Auffeldt.

Dulcis Amor nostri, dum publica pulpita
scandis,

Et morbos Medicâ doctus in Arte doces.
Applaudunt merito Tibi clarâ fronte theatra
Atq; iubent flavam cingere fronde comam.

Quicquid in aeterno consurgit amœnius arvo
Quicquid in Aonidis crescit ubiq; plagis
Illud in ingenio floret quoq; pulchrius illo,

Quod Tibi Musarum credidit ipse Parens.
Gratulor hos ausus, Tibi gratulor, Optime,
Laurum

Quam Deg. atq; brevi, nobilis hora dabunt.

Suo intimo

Heinricus Andreas Mengeringus
Med. & Chym. Cultor.

Nuper

Nuper Galeno mœsto Meditrina dolore
Solverat Elysius ultima iusta locis.
Flebant myrtigeræ circum sua mœnia Divæ,
Flebat & hirsuta syndone cinctus Amor.
Mox tamen in medium se proripit aurea lucum
Et ridens tali fatur ab ore Venus:
Quid mea defletis terrestria Numina Manes?
Cur falsis lacrimis ora rigabis Amor?
Ecce cui tremula lingua Meditrina parentat
Mortuus, in terris vivus oberrat Homo.
Qui placet Aonia felix MICHAELIDOS ARDOR
Dexteritate Deis Principibusq; Viris,
Ille Machaonia cinctus sua tempora Lauri
Galeni gestat æmula corda mei.
Et licet humani deponat corporis umbram
(Quod tamen ætherii DI prohibere velint!)
Excipiet Medici fax MÖLLENBROCCIIUS auri
Et melici Mentem Fama futura chori.
Dixerat, & niveas depromsit pollice chartas,
Quas Medicus medica sparserat ipse manu.
Tota cohors probat, & si præstat talia, cur non
Huic cingis Myrto tempora, Mater? ait.

Bono Omin. & Nom.

claro Resp. D.

David Schirmerus.

F I N I S.

Leipzig, Diss., 1645/49


ULB Halle 3
003 265 218




Sb.

WMA







11.
te Archiatro Maximo
MEDICA ORDINARIA

1649, 4
32

De
PARIS

Seu
VAGA SCORBUTICA

Quam
Auctoritate Amplissimi Medi-
corum Collegii
LIB PRÆSIDIO

UIRI
Illentissimi, atq; Experientissimi
NIS MICHAELIS, Phil.
therapeutic. P. P. Facultatis suæ
Decemviri, Collegii utriusq; Prin-
cipalis Archiatri Altenburgici. Dn. Pa-
tratoris & Præceptoris sui plu-
rimum venerandi

examinandam proponit
ANDREAS MÖLLENBROCCIUS
Hurtô-Thuringus.
Novembris, Horis locoq;
consuetis.

LIPSIAE,
Johannæ Fredum Timothei Hönii.
Anno M. DC. IL.